DE COGNITIONE MORBORUM NONNULLORUM MEDULLAE SPINALIS EIUSQUE MEMBRANARUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XX. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Christianus Harperath
RHENANO-BORUSSUS.

Opponentibus:

ANT. JOS. MAYER, med. et chir. Cand.
AUG. ROSSIÉ, med. et chir. Dr.
FERD. FOCK, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

MATRI

OPTIMAE, DILECTISSIMAE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Omnia symptomata, quae pendent ab affectionibus medullae spinalis, pertinent aut ad animum aut partim ad animum partim ad corpus, aut ad corpus proprium. Itaque ubi nonnisi symptomata animi adsunt, diagnosis difficillima et saepe a morbis cerebri non distinguenda est; sed, ubi nonnisi symptomata corporis invenimus, maxime verisimile est, morbum medullae spinalis adesse. Symptomata, quae exhibent sensorium, sunt coenaesthesis sensus externi et voluntas; tum corporis solius sunt symptomata circulationis sanguinis, functionis tractus intestinalis, genitalium, nutritionis, caloris, irritabilitatis musculorum, vis irritamentis externis resistendi, secretionum; denique affectionum partim animi partim corporis symptomata, quae e functionibus motui voluntario subactis exoriuntur, loquela, facultas deglutiendi, respiratio, evacuatio urinae et alvi.

DE IRRITATIONE MEDULLAE SPINALIS.

Irritatio medullae spinalis a multis causis originem

babet et a laesionibus mechanicis et ab affectionibus lienis, hepatis, cordis, pulmonum, uteri, et a multis aliis rebus, quod multae auctorum observationes satis demonstraverunt. Novissimis temporibus Angli et praesertim Abercrombie (1) irritationi medullae spinalis multum operae et studii impenderunt. Et Burns, Monteiht et multi alii de morbis medullae spinalis multas tradiderunt observationes. Spasmus est symptoma, quod indicat semper irritationem medullae spinalis, et vehementia spasmi pendet ab irritamento ipso, et spasmum semper sequitur debilitas magna. Spasmi praesertim si afficiunt omnia membra et accedunt in initio morbi, facile transeunt in paralysin, quae ipsa eo magis timenda est, quo facilius talem morbum cognoscere liceat, qualis crescere et augeri possit. Itaque ad confirmandam diagnosin necesse est, functionem organi, quod medullam spinalem excitare possit, esse turbatam.

DE SENSIBILITATE ADAUCTA.

Hoc in morbo est functio medullae spinalis turbata, actiones sunt vehementissimae, facultas notiones externas faciendi adaucta et normalia irritamenta excipiuntur modo anomalo. Aegrotus, si irritatur ullo modo, convulsioni-

---

(1) Abercrombie, Untersuchungen über die Krankheiten des Gehirns und Rückenmarks übersetzt von G. v. dem Busch. Bremen 1829.

bus et magnis doloribus cruciatur. Multi scriptores et inter illos viri clarissimi, uti Harless (1), Ollivier(2) et alii credunt, multas convulsiones, tetanum, epilepsiam, choream St. Viti, habere plerumque causam in medullae spinalis vel substantiae vel integumentorum inflammatione. Sed inflammatio non semper est causa horum morborum, quod nobis demonstrant observationes, in quibus medulla spinalis defunctorum sectione instituta sana adspectu narratur, quas exempli causa invenimus apud Parent-Duchatelet (1). Tales convulsiones saepissime originem ducunt ex sensibilitate adaucta.

Dolorum sedes est medulla spinalis ipsa; interdum autem occurrunt dolores in abdomine et plerumque sunt trahentes quasi e rheumatismo exorti vel pungentes et iis similes, qui existunt in colica. Itaque spasmi omnis generis existere possunt, aut clonici aut tonici, quorum alteri saepius in infantibus et feminis, alteri in viris observantur. Spasmos in omnibus corporis partibus invenimus, et interdum accidit, ut spasmus posteaquam sensibilitas sensim sensimque ad eum provenerit gradum,

---

(1) Chr. Fr. Harless, Jahrbücher der deutschen Medizin u. Chirurgie 1813. Bd. II. Praktische Bemerk. über die myelitis.

(2) Ollivier, Traité de la moëlle épinière et de ses maladies; 2. édition tome II. pag. 817 et seq.

(3) Parent-Duchatelet et L. Martinet recherches sur l'inflammation de l'arachnoide cerebrale et spinale. Obs. CXXXVIII et CXXXVX.

qui ad spasmum provocandum necesse sit, iterum desinat, si sensibilitas spasmo quasi consumpta et oppressa sit; quare quoque spasmum semper sequitur debilitas magna et interdum paralysis. Itaque a multis scriptoribus modo alvi modo urinae retentio vel incontinentia est observata (1). Interdum autem sensibilitatem adauctam sine ulla motus perturbatione observaverunt scriptores.

Abercrombie (1) narrat historiam morbi, in qua sensibilitas turbata fuit in brachio sinistro, et evanuit; deinde in dextro, in quo etiam evanuit; denique idem sensus in extremitatibus inferioribus, ita ut illae ad latus unumquodque pronae essent excedere, quem paraplegia et mors secutae sunt. Sectione instituta neque in cerebro neque in medulla spinali quidquam abnorme inventum, et tamen turbata fuerat functio. Alterum exemplum refert Abercrombie (2) de aegrota, tenerrima constitutione et hysteria laborante. Haec animadvertit digitos pedum et pedes ipsos rigidiores et motu impeditos, ita ut in lectulo detineretur. Tum exstiterunt contractiones, quibus genua ad abdomen spasmo adducebantur, et hoc in statu aegrota vigilabat, et dormiebat, si contracta membra spasmis solvebantur. Expergiscebatur autem e somno et

---

(1) Abercrombie, loc. cit. Observ. CXXXV.

(2) Abercrombie, loc. cit. pag. 888.

erant membra extensa, magna cum vi crura ad ventrem adducebantur et interdum accedebant musculorum dorsi et brachiorum contractiones. Sed nihil de affectione medullae spinalis, de ejus inflammatione et destructione examine instituto reperiebatur, quanquam aegrota magnis doloribus regionis dorsalis vexabatur et post sex menses in integrum restituta est.

Saepe imminentibus mensibus percipitur dolor catamenialis, interdum cum languore extremitatum, sed nunquam cum paralysi conjunctus, et plerumque cum mensibus vel detractione sanguinis diminuitur. Nonnulli credunt inflammationem vel medullae spinalis vel ejus membranarum, et Ollivier (1) putat congestionem adesse; sed auctore Nasse nihil aliud est quam sensibilitas adaucta.

DE SENSIBILITATE DIMINUTA.

Sensibilitas diminuta semper adest, si partes irritamentis normalibus non respondent, et medulla spinalis hoc morbo laborat, si facultas organa movendi deest.

Observationes Marshall-Hallii(2) multum ad ori-

(1) Ollivier, loc. cit.

(2) Marshall-Hall, Sur la force excito-motrice dans les mémoires sur la vraie moëlle épinière etc. par Gariel D. M. P. Paris 1838.

ginis et causarum sensibilitatis diminutae cognitionem attulerunt. Hic autem variis rationibus adductus putat praeter sensorias et motorias inesse medullae spinali fibras proprias in encephalo non inventas, quas nominat fibras excito-motorias. Isti motus, quos Muellerus nominat motus reflexos, ab his fibris etiam pendere videntur. Quae fibrae imperant orificiis variis spincteribusque corporis. Ségalas instituit experimenta, quae pertinent ad functiones genitalium. Quum enim mucrone cerebellum et suprema medullae spinalis pars perforarentur, penis erectus, sed seminis ejaculatio non secuta est, nisi mucro usque ad extremas medullae spinalis partes adigeretur; quod idem ablato encephalo factum est. Quibus rebus nihil a cerebello neque ad erectionem penis, neque ad seminis ejaculationem pendere apparet, potius autem a medulla spinali et maxime a fibris excito-motoriis. Interdum autem, quum homo sensibilitate diminuta tam laboraret, ut adesset perfecta paraplegia et nihil sentiretur, quando catheter in urethram induceretur, factum est, ut tamen immisso cathetere penis erectio oriretur.

Quibus observationibus innixi persuadere nobis possumus, praecipue systema fibrarum excito-motoriarum in sensibilitate diminuta esse affectum.

Sensibilitas diminuta provocat paralysin, quae est incompleta aut completa, quod pendet a gradu morbi;

sensibilitatis enim diminutio invadit plerumque sensim sensimque medullam, quare paralysis primum incompleta est et morbo progresso ad completam transit. In paralysi aegroti saepe vexantur convulsionibus. Abercrombie refert exemplum, ubi apud virum, qui primum paresi tum paralysi laboravit, subito convulsiones exstiterunt. Homine postea phthisi mortuo sectione cadaveris neque in cerebro neque in medulla spinali quidquam abnorme repertum est. Quod attinet ad partem corporis affectam, portio cervicalis superior afficit totum corpus, capite excepto, pars inferior cervicalis truncum et membra, ita ut collum tantum integrum sit, pars dorsalis membra abdominalia et thoracem usque ad dispensiones nervorum, qui oriuntur e parte medullae supra locum affectum sita, pars lumbalis extremitates inferiores et partem respondentem abdominis. Sed observationes adsunt, quae demonstrant membra singula gradatim affici posse. Andral (1) filius observavit hunc casum: primum digitus minimus manus sinistrae, deinde manus tota et post illam brachium sinistrum affectum fuit sensibilitatis diminutione et paralysi; paulo post idem decursus in brachio dextro et denique in extremitatibus inferioribus, ita ut tandem paraplegia omnium extremitatum sit consecuta.

---

(1) Ollivier, loc. cit. observ. CXIII.

His symptomatibus autem certam diagnosin statuere non licet, quia in aliis morbis medullae spinalis eadem symptomata observantur. Sed tamen adnotandum est, sensibilitatem sensim sensimque crescere, et exoriri auctionem in corpore laborante torpore leviori occasione vel suppressis secretionibus vel efflorescentiis retrogressis, et omnia symptomata, quae in inflammatione, mollitie, induratione atque aliis morbis medullae spinalis existere solent, eam non comitari.

DE INFLAMMATIONE MEDULLAE SPINALIS EJUSQUE MEMBRANARUM.

Plerique scriptores, a pristinis temporibus usque ad nostram aetatem qui boc de morbo scripserunt, minime distinxerunt inter inflammationem medullae spinalis ipsius et membranarum, quae eam circumdant. Qua re factum est, ut diversissima sibique plane contraria symptomata attulerint, quae unum eundemque morbum indicent. Sed inter inflammationem medullae spinalis ipsius et ejus membranarum certam et claram diagnosin omni in casu statuere non possumus. Ollivier (1), qui de his morbis maxime laboravit, et ad perfectiorem cognitionem multum attulit, quamvis certa signa invenisse putet, tamen certam diagnosin statuere non potuit. Ple-

(1) Ollivier loc. cit. II. Edit.

rumque affectae sunt membranae, et substantia medullae spinalis ipsa rarissime, ut observationes sectione instituta satis demonstraverunt. Recentiori demum aetate scriptores praecipue Francogalli magnam operam atque studium huic morbi dediderunt, eumque clariorem magisque perspicuum reddiderunt. Primum locum obtinet Ollivier (1), jam nominatus, tum Pinel (2), Rostan (3), Parent-Duchatelet, Martinet(4), Andral(5) et alii.

DE MYELITIDE MEDULLAE SPINALIS.

Multi et clarissimi scriptores de myelitide egerunt, et inter eos maximum Ollivier (6) ad perfectiorem diagnosin attulit. Hic et alii scriptores ut Klossius (7) eo profecti sunt, ut non solum myelitidis symptomata in universum exponant, sed etiam hanc aut illam medullae spinalis partem inflammatam esse, bene cognosci posse contendant. Sed in observationibus talem scientiam non acquisi-

---

(1) Ollivier loc. cit. Edit. II. Paris 1827.

(2) Sur l'inflammation de la moëlle épinière par Pinel, fils (Journal de physiolog. etc. par Magendie. Tome I. Janv. 1821.)

(3) Rostan, clinique médicale p. 202.

(4) Parent-Duchatelet et Martinet loc. cit.

(5) Cours de pathologie interne par M. G. Andral, recueilli et redigé par Amédée Latour. 3 livraison. Paris 1836. Dictionnaire de médecine en 18 volumes Tome XIV, pag. 408 seq.

(6) Ollivier l. c. tome II. pag. 706.

(7) Hufelands Journal Bd. LVI. St. IV. S. 72.

verunt, verum a priori, ut dicunt, eam sibi finxerunt; praecipue quum symptomata in morbis medullae spinalis rarissime regioni respondeant, quam e physiologica ejus functione affectam esse concluseris (1).

Myelitis incipit rigiditate et sensu narcoseos in digitis pedis vel manus, quem mox impedita crura vel brachia movendi facultas sequitur. Sensim sensimque ea augetur; accedit sensibilitas harum partium diminuta, donec mox uno vel duobus praeteritis diebus et movendi et sentiendi facultas plane sit abolita. Huc accedit gravitatis et frigoris sensus, et sensus frigoris saepe conjunctus est cum inopia res externas percipiendi in universum. Convulsiones sine formicatione et musculorum et omnium extremitatum indicant interdum etiam myelitidem vel totius vel partis cujusdam medullae, quas sequitur paralysis partium, quae morbi sedi respondent. Tum queritur aegrotus de profundo et non tam vehementi dolore in medulla spinali, qui motu augetur et extenditur a regione cervicali usque ad regionem sacralem. Sed de hoc symptomate magna est inter scriptores controversia. Celeberrimus Harless (2), Kloss (3) et alii, eum distincte in interno columnae vertebralis cavo

(1) Bieger. De regionum med. spin. in ejus morbis diagnosi. Bonnae 1832.

(2) Harless. J. loc. cit. Bd. II. S. 278.

(3) Hufelands Journ. Bd. LVI.

persentiri, neque augeri motu, nisi intensiore dorsumque magis flectente, nec tactu vel pressione dorsi manu facta affirmant. Nunquam aequali vi per totam spinae longitudinem eum saevire; sed majori semper loco quodam, sive sit in regione vertebrarum lumbali, sive cervicali constanter eum percipi; semper eum augeri molestiusque sentiri in decubitu supino. Andral (1) autem contendit dolorem raro in myelitide esse observatum et Ollivier (2) dolorem quidem adesse interdum, nonnunquam vero etiam haud sentiri affirmat. Num autem dolor aliquo loco adsit nec ne, detegitur, si adhibeamus experimentum Copelandii; Andral (3) contra affirmat hoc experimento saepe in hominibus myelitide affectis se usum esse sine ullo eventu. Omnes autem scriptores et observationes consentiunt, in myelitide adesse febrem inflammatoriam, sed non tam vehementem, pulsum esse mollem, et solummodo 80—90 ictus habere, et cutem siccam. Sin autem incontinentia alvi et urinae, quae antea retinebantur, apparet, si deliria, coma existunt et magna respirationis difficultas observatur, mors imminet.

In annalibus Francogallis casus myelitidis observatus

---

(1) Andral Dictionnaire loc. cit. tome XIV. pag. 421.
(2) Ollivier loc. cit. tome II. pag. 702.
(3) Andral cours de path. pag. 46.

est a Duparcque, in quo sectione iustituta nihil aliud affectum inventum est, nisi medulla spinalis inflammata.

Vir novem et quinquaginta annorum, cui erat constitutio apoplectica, aliquando mane e somno expergefactus digitos pedum et pedes ipsos solito rigidiores esse animadvertit, qua cum rigiditate sensus fuit conjunctus, ac si lana ingrederetur. Sub vesperam non solum rigiditas et sensus narcoseos augentur sed etiam eadem symptomata in digitis manus existunt. Postridie fuit stupor pedum major, dolores obtusi in suris, qui motu partium sed non pressu augebantur; sensibilitas vero et in pedibus et manibus valde diminuta, ita ut aegrotus ne vas quidem, quo aquam hauriret, se manibus tenere sentiret. Caput erat omni affectione liberum, respiratio facilis, sed pulsus magis frequens. Venaesectione librarum duarum instituta tumor extremitatum lividusque eorum color evanuit; paralysis autem progrediebatur, ita ut sine alius auxilio se movere non posset aegrotus. Dolores autem minimo motu aegroti intolerabiles e pedibus in crura et inde in totam columnam vertebralem se extendebant. Tertio morbi die membra abdominalia plane paralytica, et extremitates superiores immobiles pendebant ab humero, sensibilitate omni fere orbatae, caput solummodo atque

(1) Remarques et observations sur les maladies de la moëlle épinière (transactions medicales).

trunci pars superior haud affecta. Mox autem respiratio affecta, mucus in pectore auditur, tussis et vomitus, urina modo spastico et intervallis ejecta, et aegrotus mox mortuus.

Sectione cadaveris instituta aliquid seri cruenti in canali vertebrali apparuit, sed incisione in durae matris inferiorem partem facta fere tres unciae talis seri effluxerunt; venae in superficie posteriori medullae sanguine valde tumentes; et inde ab ultimis vertebris dorsalibus medulla ipsa valde rubra, multisque vasis sanguiferis obtecta; qui rubor deorsum magis magisque auctus; maxime autem inflammata cauda equina. Ceterum medullae conditio vel in locis maxime inflammatis non mutata; nusquam mollities, induratio vel alia talia sunt inventa.

DE MENINGITIDE MEDULLAE SPINALIS.

Meningitis nominatur inflammatio medullae spinalis membranarum, ergo inflammatio tunicae arachnoideae, tunicae cellulosae et tunicae piae matris. Primus et fere unicus inflammationis durae matris mentionem facit Albers, (1) quam nominat perimeningitidem medullae spinalis, et refert duorum aegrotorum historias, quibus mortuis dura mater medullae spinalis inventa est inflammata.

(1) Journal für Chirurgie und Augenheilkunde von v. Graefe und v. Walther Bd. XIX. St. 3. S. 347.

Symptomata viventibus aegrotis observata erant dolor vehemens in parte inferiori trunci et in membris abdominalibus, spasmi, tremor artuum, difficultas in reddendis faecibus atque urina, et sensus constrictionis circa abdomen. Sed hujus inflammationis certam diagnosin statuére et hanc ab aliis inflammationibus medullae spinalis et ejus membranarum discernere non possumus.

Primum autem meningitidis symptoma est vehemens dolor in columna vertebrali qui extenditur a regione cervicali usque ad regionem sacralem; praecipue conspicitur hic dolor vehemens in meningitide acuta, ita ut illius morbi sit signum pathognomonicum. Sin autem hic dolor sit in parte quadam columnae localis, indicat meningitidem localem et lentam, quae loco doloris respondet. Abercrombie (1) refert meningitidis cum exsudatione partis dorsalis et lumbalis exemplum, in quo dolor in hypochondrio dextro infixus haerebat. Hic dolor in meningitide medullae spinalis multo intensior et diuturnior, quam ille in meningitide cerebri; saepe vero hujus morbi unicum symptoma. Si cerebri membranae simul sunt affectae et perturbatio animi et deliria existunt, plerumque nullus dolor percipitur. Cetera symptomata pendent ab irritatione medullae spinalis ipsius, et inter ea obtinent

(1) Abercrombie loc. cit. Observ. CXXV.

primum locum contractiones musculorum, quae tetanum constituunt. Sed de hac re magna inter auctores est controversia. Funkius (1) in libello quem scripsit de inflammatione medullae spinalis, tetanum et inflammationem medullae spinalis eosdem morbos esse contendit.

Curling (2) dicit, inter medullae spinalis membranas hominum tetano mortuorum plerumque seri exsudationes cum plenitudine vasorum et in origine nervorum sanguinis adesse stagnationem. Larrey (3) multis in militum sectionibus post pugnam apud Waterloo commissam tetano defunctorum maxima cum diligentia factis se semper clara medullae spinalis inflammationis signa cum seri exsudatione magis minusve rubro colore infra membranas invenisse refert. Et Cosley (4) in equis tetano subactis saepe signa inflammationis vel medullae vel ejus membranarum non incerta se observasse narrat; sed Bright et Emmeret (5) nunquam in talibus equis inflammationem aliquam viderunt. Parent-Duchatelet et Martinet (6) contra, qui saepius tetanum apud homines observarunt et permultas sectiones fecerunt, in medulla neque inflammationis neque

---

(1) Funk. Entzündung des Rückenmarks. Bamberg 1832.

(2) Thomas Blizard Curling über den Tetanus, übersetzt von Moser. Berlin 1838.

(3) Clinique chirurgicale tome I. p. 88.

(4) London medical and physical journal vol. LIV. pg. 197.

(5) Reports of medical cases Vol. II. pag. 573 case the 276.

(6) loc. cit. observ. 131, 136, 138, 139.

alius affectionis ulla signa et abnormis quidquam invenire non potuerunt. Jam inter omnes fere constat et multae observationes a scriptoribus fide dignissimis relatae satis demonstrant, tetani causam proximam meningitidem non semper esse, eum sine illa existere posse et multis aliis affectionibus praesertim cerebri provocari.

Convulsiones membrorum, praesertim superiorum in meningitide spinali saepe observatae et in nonnullis sed paucis casibus permanentes; raro tremor artuum. Nonnulli referunt paralysin interdum adesse, sed res non ita sese habet. Aegroti enim semper propter nimios dolores tranquilli jacent, et nunquam nisi maxima necessitate coacti se movent. Febris est in hoc morbo inflammatoria, pulsus frequens et magnus, respiratio difficilis, anhelosa, oculi splendentes, facies rubra, sitis magna, urina rubra, difficultas deglutiendi et faeces et urinam mittendi, et provectiore inflammationis stadio incontinentia et alvi et urinae, quod si fiat, mors imminet.

DE MOLLITIE MEDULLAE SPINALIS.

Haec affectio medullae spinalis dividenda est in talem, quae non oriri potest, nisi inflammatione praegressa, et in talem, quae non ex inflammatione orta et plerumque homines vel dyscrasia quadam laborantes, vel corpore masturbatione vel coitu nimio debilitato vel aetate pro-

vectiore corripit. Symptomata, quibus diagnosis mollitiei ex inflammatione praegressa constituitur, sunt praegressa inflammatoria; dolor in aliqua medullae parte, qui nisi sponte aegrotum vexat, spongia tamen calida excitatur. Tum convulsiones membrorum aut singulorum aut omnium, quae aut sequuntur paralysin, aut antecedunt, aut una cum ea existunt atque mox in paresin postea in paralysin transeunt. In nullo alio medullae morbo sunt convulsiones et contractiones tam frequentes, quam in mollitie. Paralysis invenitur plerumque in iis medullae affectionibus, quae graviore gradu irritabilitatem deminuunt, maxime ergo hoc in morbo. Haec est aut completa aut incompleta, quod saepe a gradu morbi pendet, ita ut interdum primum incompleta sit et morbo ingravescente ad completam evehatur. Sed Gerson et Velpeau (1) referunt duos casus, in quibus tota pars dorsalis medullae spinalis fuit emollita et tamen nihil paralyseos est observatum. Rostan (2) describit mollitiem partis dorsalis, in qua aegrotus membris, sicuti voluerit, usus sit, ubi tamen motus omnes fuerunt, quasi abrepti. Plerumque in hoc morbo duo simul membra aequabiliter afficiuntur, aut thoracica

---

(1) Andral, clinique médicale tome IV. Ramollissement de la moëlle épinière.

(2) loc. cit. Observ. XLIII. 6.

aut abdominalia; sed quanquam Rostan (1) in medium protulit opinionem, hemiplegiam semper esse signum cerebri aegrotantis, non medullae, ea quidem propter, uti putat, quod medullae columnae unius lateris aegrotare non possint, nisi alterius lateris columnae aliquo modo simul afficiantur, tamen mollitiei exempla prostant, quae contrarium demonstrant. Hemiplegiam lateris dextri, cujus membra extrema etiam emaciata fuerunt, in mollitie tum myelitide lenta refert Gendrin (2), et Portal (3) paralysin cruris sinistri, quanquam sectio cadaveris mollitiem portionis lumbalis dextrae obtulit. Imprimis mollitiei, quae non ex inflammatione originem ducit, id peculiare est, quod initio fere semper unum tantum membrum afficiat.

Sensibilitas simul diminui solet; multis vero observationibus elucet, motum in mollitie medullae spinalis multo magis aegrotare, quam sensum, atque experientia satis certo docuit, si conditio aegri in melius vertatur, sensum priusquam motum restaurari, vel e toto redire. Observationes autem adsunt, quibus demonstratur, sensibilitatem ab initio morbi illaesam esse posse ac manere.

---

(1) Rostan. loc. cit. pag. 256 — 257.

(2) Gendrin. Histoire anatomique des inflammations tom. II. obs. CL p. 168.

(3) Portal. Anat. med. tom. IV. pag. 116.

Nasse (1) duos observavit casus, Rullier (2) unum, Royer Collard (3), Serres (4), Abercrombie (5) complures, in quibus, degenerata medulla spinali, praecipue in mollitie columnarum anteriorum et posteriorum, motus tantum fuit impeditus, sensus autem omnino integer.

Calor partium paralysi affectarum est diminutus, cutis sicca et epidermis saepe desquamatur. Tela cellulosa earum partium saepe sedes est secretionis fluidi lymphatici, itaque conspicimus oedema harum partium, saepissime conjunctum cum oedemate scroti. Huc accedit sensus formicationis et narcoseos praesertim in planta pedum et vola manus perstans. Rostan (6) describit formicationem primum manus sinistrae tum dextrae in mollitie partis cervicalis; Ollivier (7) in simili casu primum extremitatum lateris dextri, postea sinistri. Ictus cordis saepe fortis sentitur in mollitie partis cervicalis et dorsalis. Serres (8) refert observationem, in qua symptomata hypertrophiae cum dilatatione cordis sinistri adfue-

---

(1) Nasse, Beobachtungen auf dem Gebiete der Pathologie und Physiologie. Bd. II.

(2) Fodera, journal complémentaire pag. 269.

(3) Magendie, journal de physiologie. tom. III. pag. 157.

(4) Anatomie comparée du cerveau tome II. pag. 221.

(5) Abercrombie loc. cit. pag. 362. 365, 372, 376.

(6) Rostan, loc. cit. observ. 42.

(7) Ollivier, loc. cit. observ. 78.

(8) Serres, Journal de physiologie experiment. Juillet 1828.

runt, sectio autem cadaveris demonstravit cor sanum et affectionem medullae spinalis.

Pulsus frequens et interdum tardus, saepe irregularis in mollitie cum myelitide lenta, faecum et urinae incontinentia sequitur retentionem; erectionibus penis et frequentibus pollutionibus aegroti vexantur; sed facultas coitum exercendi saepe integra.

Dr. D'Ester (1) refert de aegroto, qui omnia symptomata mollitiei medullae dorsalis superioris cum paralysi artuum inferiorum, partim etiam superiorum, obtulit, nihilo minus vero hac valetudinis conditione prolem robustum genuit. Dr. Diesterweg (2) se novisse feminam scribit, quam mollitie medullae dorsalis laborare omnia symptomata demonstrant, et quae nihilo tamen minus duos jam peperit infantes vivos.

In observationibus, quas celeberrimi scriptores collegerunt, mors prima vel secunda hebdomade post morbum exortum est secuta, exstant autem casus, ubi morbus per menses et annos duraverit.

DE INDURATIONE MEDULLAE SPINALIS.

Induratio medullae spinalis rarissima est. Aber-

(1) D'Ester, de semiologia med. spin. Bonnae 1835.
(2) Diesterweg, de cognitione morborum medullae spinalis. Bonnae 1836.

crombie et Portal referunt casum, et Esquirol bis epilepsiam ex induratione partis cervicalis medullae spinalis ortam se observasse narrat. Decursus morbi erat in omnibus lentissimus. Primum erat sensus languoris et frigoris in una manu, qui sensim sensimque ad brachium sese extendebat. In casu, quem describit Abercrombie, affectio manus alterius secuta est; sed in casu quem refert Portal, affectio pedis ejusdem lateris; sensim sensimque autem membra alterius lateris correpta sunt, ita ut paralysis incompleta totius corporis existeret.

His in casibus erat magis sensus quam motus affectus. Difficultas in actu deglutiendi permagna et respiratio difficillima, nam, quod pars cervicalis his in casibus erat indurata motus musculorum respirationis impeditus.

---

(1) Acercrombie, loc. cit. p. 507.
(2) Portal, loc. cit. Tom. IV. p. 117.

VITA.

Ego Christianus Harperath natus Coloniae Agrippinae fine anni millesimi octingentesimi decimi quarti parentibus Ludowico Harperath, quem jam duos annos morte mihi ereptum lugeo, et Sophia e gente Reifiana, quam adhuc vivam pia mente veneror. Fidem confiteor catholicam.

Primis litterarum rudimentis a Klein, verbi divini ministro, imbutus, frequentavi institutum fratrum Schumacher, tum adii Gymnasium catholicum, quod floret Coloniae directore Birnbaum, et, illo per septem annos frequentato, praeditus maturitatis testimonio, autumno anni

millesimi octingentesimi tricesimi quarti almam literarum universitatem Rhenanam petii, ibique a rectore magnifico Naeke in civium academicorum numerum receptus, apud medicorum ordinis Decanum spectatissimum E. Bischof nomen professus, hasce frequentavi praelectiones:

I. Philosophicas: Logicen et psychologiam apud Ill. van Calker, physicen experimentalem apud Ill. a Muenchow, botanicen pharmaceuticam apud Ill. Nees von Esenbeck, mineralogiam apud Ill. Noeggerath, zoologiam apud Ill. Goldfuss, chemiam experimentalem apud Ill. G. Bischof, anthropologiam apud Ill. Nasse.

II. Medicas: Encyclopaediam et methodologiam medicam apud Ill. E. Bischof, anatomiam generalem et specialem apud Ill. Mayer et Ill. Weber, qui etiam in cadaveribus secandis duces mihi fuerunt, physiologiam apud Cel. Windischmann, pathologiam generalem apud Ill. Naumann, materiam medicam apud Cel. Albers, diaeteticen et historiam hominis

apud Ill. Harless, chirurgiam, doctrinam de operationibus chirurgicis, de fasciis applicandis et de morbis oculorum, anatomiam chirurgicam apud Ill. Wutzer, qui etiam mihi dux erat in clinico chirurgico et ophthalmiatrico per semestre, therapiam generalem et specialem apud Ill. Nasse.

Vere anni millesimi octingentesimi tricesimi septimi me contuli ad almam universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem, ubi rectore magnifico Hefft e r, Decano spectatissimo Wagner civium academicorum numero adscriptus sum. Ibique audivi:

De arte formulas medicas concinnandi cum exercitationibus Cel. Casper, de medicina forensi Ill. Wagner, de arte obstetricia cum exercitationibus et in phantomate et in hominibus Ill. Kluge. In institutis clinicis medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis Cel. Wolff, Cel. Truestedt, Ill. Rust, Cel. Dieffenbach, Cel. Barez, Ill. Juengken, Ill. Wagner ducibus gavisus sum. Per annum sub auspiciis

doctissimi Doering chirurgi militaris munus voluntarius obii.

Quibus professoribus omnibus dilectissimis, optime de me meritis gratias habeo semperque habebo, quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso rite superatis, spero fore ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Ad cognoscendos morbos pectoris magis facere auditum, quam visum atque tactum.
2. Scirrhus amputationem non indicat.
3. Punctio abdominis in hydrope ascite non rejicienda.
4. Helminthiasin ab hydrocephalo acuto incipiente difficile est dignoscere.